



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Sacramentis. In qua Tractatibus decem de Sacramentis in genere, tum
speciatim, videlicet de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia spectata ut
Sacramento, & ut sacrificio: de Pœnitentia, de Suffragiis, Indulgentiis, &
Iubilo, de Bulla Cruciat, de Extrema-unctione, & demum de Ordinis
Sacramento ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

Quibus cæremoniis Sacramentum Confirmationis ministrandum est. 10

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76649)

hoc administrasse Confirmationis Sacramentum. Supponitur in concilio Senonen. in decretis morum cap. 38. & factis indicatur à Trident. afferente Episcopum esse ordinatum huius sacramenti ministrum. Cum enim dicit ordinatum, supponit alium esse posse ex speciali commissione, & delegationi. Quid enim prohibet Christum Dominum Episcopos in ministris huius sacramenti absolute, & simpliciter designasse, presbyteros vero non sic, sed facta Pontificis commissione? Etenim hic institutionis modus convenientior est, ne ob defectum Episcoporum plures hoc Sacramento priuètur. Affirmandum igitur est ex delegatione Pontificis presbyteros ministros huius sacramenti esse. Et ita sustinet D. Thom. qu. 72. art. 11. & ibi Coninch. num. 104. Suar. disput. 36. sect. 2. post princ. Nauarr. c. 12. n. 8. Couaruu. lib. 1. var. c. 10. n. 6. & 14. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 3. cap. 6. Bonac. disput. 3. de Sacram. q. vn. p. 2. n. 3. & alij apud ipsos.

4. Laici vero, aliusue clericis Sacerdote inferioribus nullatenus hæc potestas committi potest, imo nec Sacerdotibus ab alio præter Pontificem, constat ex vfu, & consuetudine Ecclesie, qua institutio Christi declaratur. Nunquam enim legimus Sacerdotibus hanc potestatem Episcopos concessisse, neque Pontificem clericis Sacerdote inferioribus. Potius relati textus iudicant summo Ecclesie Pastori comparatione Sacerdotum hoc negotium referatur esse. Sic omnes doctores allegari.

5. Pontifex autem ad concedendam hanc Sacerdotibus facultatem graui causa duci debet, aliàs imprudenter operabitur, valide tamen teste Suar. disput. 36. sect. 2. vers. tertia pars. Henric. lib. 3. c. 6. n. 4. Coninch. q. 72. art. 11. dub. vn. n. 110. Paul. Laymann. lib. 5. sum. 6. assertio. 2. Quia Pontifex hanc Sacerdotibus facultatem concedens in lege Christi non dispensat, sed vritur potestate sibi à Christo relicta. Neque credendum est Christum Dominum suo Vicario hanc potestatem reliquisse pro solo casu vrgentis necessitatis, quia esset graue periculum sæpe efficiendi irritum Sacramentum. Quod si obicitur concilij Florentini decretum supponens ex dispensatione sedis Apostolicæ, & ex rationabili, & vrgenti causa hanc administrationem Sacerdotibus concedi posse: Respondeo id verum esse de concessione, vt licite, & prudenter fiat, secus vt valide; concessio namque facultatis extraordinariæ, & præter communem vsum sæpe dispensatio appellatur.

6. Poterit vero Pontifex hanc Sacerdotibus facultatem præstare eo ipso quo electus sit, tamen ordinibus careat: quia esto confirmare ipse non possit, confirmandi tamen potestatem concedere poterit. Hæc enim concessio non est actus ordinis, sed iurisdictionis, sicuti potest Parochus non Sacerdos iurisdictionem Sacerdoti delegare absoluedi à peccatis, quamuis ipse absolueri non possit. Sic. Egid. de Coninch. q. 72. art. 11. dub. vnico, n. 109. Suar. disput. 36. sect. 2. vers. soler. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 3. cap. 6. concl. 2. in fine.

7. Plura requiruntur, vt prædictus ordinatus, vel extraordinarius minister licite præstet suum officium. Primò non debet alios, quam sibi subditos confirmare. Quia ad cuiuslibet sacramenti licitam administrationem iurisdictione in personam cui est sacramentum ministrandum expostulatur. Neque enim omnibus datum est alienas oues pascere. Sic ex omnium sententia restatur Syluest. verbo Confirmatio distina. n. 5. Suar. disput. 38. sect. 2. in fine. Bonac. disput. 3. de Sacram. qu. vnica punct. 2. n. 10. Ex præsumpta tamen voluntate proprii superioris possunt alieni subditi licite confirmari, quia præsumuntur à proprio Superiore subditi. Vnde autem hæc præsumptio colligatur arbitrio prudentis relinquatur. Et quidem si tibi ordinandum alienum subditum non confirmatum remittit proprius Episcopus, dubium esse non potest, quin velit, vt et Sacramentum Confirmationis concedas, siquidem Confirmatio ordinibus recipiendis præmitti debet ex Trident. sess. 23. cap. 4. sic Henric. lib. 3. sum. cap. 6. num. 6. Zambra de Confirmat. dub. 2. num. 3. Paul. Laymann. lib. 3. sum. tract. 3. cap. 6. conclus. 3. An vero incolis, & peregrinis ministrare Confirmationem possis in tua diocesi absque vlla sui Episcopi speciali concessione? Negant Petr. Ledesma, in sum. tract. de Confirmat. cap. 9. conclus. 7. Bartholom. ab Angelo Dialog. 3. §. 62. Bonac. disput. 3. quæst. vnica punct. 2. num. 10. Moueri possunt, quia hoc Sacramentum non est necessitatis, sed vtilitatis, aliàs & ordinare, & matrimonio coniungere eos posses. Neque item debes inquirere, an Confirmandi sint tui subditi, cum aqùè non subditos, ac subditos possis confirmare. Contrarium verius existimo cum Henric. lib. 3. cap. 6. n. 6. Eman. Saà verbo Confirmatio num. 2. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 3. cap. 6. Assert. 1. Barbofa allegat. 30. de potest. Episc. num. 14. Marc. Antonin. Genuen. ppaxi, cap. 54. num. 7. Quia hoc Sacramentum licet non sit absolute necessitatis, est tamen maxima vtilitatis, quia non est credendum velle Pastorem proprium suas oues esse priuatas, præcipue cum inde nullum ei incommodum proueniat. Sicuti progreant potest ex Ordine, & matrimonio recepto. Et, scitè ob hanc causam vtu receptum est Episcopum in propria diocesi confirmantem omnibus ad se consuetibus Confirmationem

Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars. IV.

ministrare nulla inquisitione facta, an sint propria, vel aliter diecessis. Secus vero procedit, cum Ordinem ministrat. 8. Secundo debet in propria diecesi Confirmationem ministrare, aliàs si in aliena diecesi irrequisito proprio Episcopo ministraret hoc sacramentum etiam sibi subditis & peccaret mortaliter, & suspensionem ab exercitio Pontificalium incurreret. Ita ex Trident. sess. 6. cap. 5. de reformat. & ex declarat. Cardinal. tradunt Eman. Saà, verbo Confirmatio n. 3. Henric. lib. 3. cap. 6. n. 6. Barbofa aliis relatis, 2. p. de potest. Episc. allegat. 30. n. 15.

9. Tertio vti debes chrismate eò anno consecrato, si enim veteri vteretur absque necessitate vrgente, peccaret mortaliter, sicuti colligitur ex Fabiano Papa epist. 2. & ex cap. si quis de alio de consecrat. dist. 4. & cap. quoniam de sentent. excommunicat. in 6. Nam si in baptismo, vbi solum chrismatibus vntio est quidam ritus ab Ecclesia præscriptus, nequit vetus chrisma deseruire, sed nouum apponendum est: à fortiori in Confirmationis sacramento, vbi chrisma est illius materia, id obseruari debet, vt bene notauit Suar. disput. 38. sect. 2. in fine.

10. Quarto debet esse in gratia, aliàs peccabit mortaliter, si Confirmationem in mortali ministrat, debetque intentionem virtuales habere prædictum Sacramentum conferendi, constat ex dictis tract. 18. de Sacram. in genere, p. 5. & tract. 19. de bapt. p. 9.

11. Quinto debet esse ieiunus, vt cauetur cap. vt ieiunus, cap. vt Episcopi, de consecrat. dist. 5. Sed non est præceptum sed consilium, vnde contrarium sæpe fit, præcipue cum numerosus populus confirmandus est, quem Episcopus ieiunus difficulter confirmare possit, eaque de causa post prædium hoc sacramentum sæpe ministrat. Suar. disput. 37. sect. 2. vers. quarto. Egid. q. 72. art. 12. Laym. lib. 5. tract. 3. cap. vlt.

12. Sexto obseruare debet cæremoniis ab Ecclesia præscriptas, de quibus in puncto sequenti.

13. Aduertendum maxime est obligatum esse Episcopum Sacramentum Confirmationis per se, vel per alium Episcopum in sua diocesi ministrare. Vnde si longo tempore huius sacramenti ministrationem omiseret, non est dubium peccaturum mortaliter, quia priuatur oues, quas pascere obligatur vtilitate spiritali non leui, & opportuno, apostolicoque remedio ad fidem, gratiam, & charitatem conferuandam. Sic Tolet. lib. 5. cap. 4. Suar. disput. 38. sect. 2. Marcus Anton. Genuen. in manual. Pastor. cap. 54. n. 2. Barbofa alleg. 30. num. 9. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 3. c. 6. in fine. Hinc fit obligatum esse ad loca præcipua suæ diocesis gratia conferendi chrismatibus accedere. Nam si solum in Cathedrali ministraret confirmationem, plures ex diecesi sine Confirmatione remaneret. Debet ergo ad loca saltem præcipua accedere, quò regulariter omnes consuere possint. Sic Barbofa, 2. p. de potest. Episc. alleg. 30. num. 10. Neque laici, aut Ecclesiarum rectores obligantur ad Episcopi expensas, quia vt huic obligationi Episcopus satis faciat solutione decimarum à populo alitur. Barb. dicto. n. 10.

PUNCTVM X.

Quibus cæremoniis Sacramentum Confirmationis ministrandum est.

1. Explicantur cæremoniae antecedentes. Prima debet præcedere chrisma ex oleo, & balsamo per Episcopum benedictum.
2. Secunda ad se debet pertinere, & de illius conditione.
3. Tertia. Orationes præmittuntur.
4. Quarta. Ieiunium ex decentia tantum non ex obligatione.
5. Comitantes cæremoniae. Prima est tempus, & quod sit.
6. Secunda est locus, & qui sit.
7. Tertia. Sunt vestes sacre.
8. Subsequentes cæremoniae. Prima est Confirmari frontem vitra linea ligari.
9. Secunda est leuis maxillo percussio.
10. Tertia. Solet enumerari cereus accensus.
11. Quarta sunt orationes.
12. Quinta est admonitio, ne è loco Confirmationis discedat & confirmari usque ad vltimam Episcopalem benedictionem.

1. **A**lias sunt cæremoniae, & ritus confirmationem antecedentes, alia comitantes, alia subsequentes. Antecedentes sunt, vt chrisma sit ex balsamo, & oleo ab Episcopo consecratum, cuius consecrationis ritus latè expendit, & explicat Suar. q. 72. art. 12. dist. 37. sect. 1. per totam.

2. Secunda, vt adit patrinus, sicuti in baptismo, qui confirmandum tenet. Habetur cap. si quis filium suum, cap. de his 30. quæst. 1. cap. si quis ex vno eadem dist. quæst. 4. Nam vt optime dixit Catechismus Romanus: Sicut in fide per baptismum genitus indiget pedagogo, sic militia celestis inferpitus, & in militem figuratus, & armatus indiget duce, & militiae magistro, cuius monitis nequissimi tela possit extinguere. Patentur tamen Doctores patrinum in Confirmatione non

ita astringi ad roborandum Confirmatum in fide, & charitate sicuti astringitur patrinus ad baptizatum edocendum, quia absque doctore noticia fidei non habetur, at firmitas in fide, charitate suscepta, non tamen ex magistri consilii, quam ex ipso sacramento, & auxiliis diuinis inde prouenientibus oritur, ideoque patrinus Confirmationis obligatum grauius non esse ad instruendum confirmatum, testatur Henricq. lib. 3. cap. 3. n. 3. Bonac. disp. 3. q. unica de Sacram. Confirmat. p. 4. in fine. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 3. c. 7. Insuper patrinus Confirmationis debet esse confirmatus, alias non videtur validè patris munus subire, nec cognationem spirituales contrahere ex textu in cap. baptizate. de consecrat. dist. 4. qui vitur verbo non potest, quod impotentiam, & incapacitatem indicat: & deinde quia in eo textu à patris Confirmationis æquè non confirmatus excluditur, ac excluditur infidelis. At hic in omnium sententijs est exclusus, non solum quoad licitum vltim, sed etiam quoad validum, quia incapax est cuiuslibet Ecclesiastici impedimenti. Ergo similiter non confirmatus excludi debet. Et enim sicut cognatio carnalis esse non potest, nisi inter eos, qui ab eodem stipite secundum carnalem propagationem procedunt, sic spiritualis cognatio contrahi non poterit nisi inter eos, qui ab eodem stipite nempe Christo per regenerationem spirituales sacramentorum procedunt. Sed in non confirmato deficit processio à Christo medio sacramento Confirmationis. Ergo non poterit cum confirmato cognationem spirituales contrahere, quia in hac parte non procedunt ab eodem stipite. Et ita sustinet Glossa in dicto cap. baptizate. Henricq. lib. 3. cap. 3. nu. 3. Tolet. lib. 2. cap. 24. Sanch. pluribus relatis. lib. 7. de matr. disp. 60. n. 20. aduersus alios plures n. 19. relatos. Deinde nequit esse monachus sub graui culpa, ex cap. placuit commune. 6. qu. 1. cap. non licet. c. monachi de consecrat. dist. 4. Excipe nisi confirmandus Religiosus esset, quia eo casu optimè potest monachus esse illius patrinus. Sic docuit Barbosa 2. p. de potest. Episc. allegat. 30. num. 13. Præterea vnus tantum patrinus esse debet, iuxta c. vlt. de cognat. spiritual. in 6. Neque admitti potest vnus, & vni. Nam esto id fuerit pro baptismo permissum à Trident. sess. 24. c. 2. de reformat. inde ad Confirmationem extendi non debet, quia in hac parte Tridentinum Confirmationis mentionem non fecit, & iuris antiqui correctio absque graui fundamento admittenda non est. Præcipue, quia Tridentini decretum expeditum fuit ad restringendum impedimentum cognationis spiritualis: nõ autem ad illud extendendum, vt constat ex processio illius c. 2. Ergo prohibitio facta in cap. vlt. de cognat. spirituali, ne plures adsint in Confirmatione patris, sed vnus tantum, correctæ non est per Trident. & ita sustinet Reb. de obligat. in sit. 2. p. lib. 3. qu. 6. n. 6. Barbosa 2. p. de potest. Episc. allegat. 30. n. 43. Bonac. de matr. quest. 3. p. 5. n. 31. Contra Sanch. lib. 7. de matr. disp. 57. n. 9. Reginald. lib. 31. n. 152. & alios ab eisdem relatos. Rursum prædictus patrinus Confirmationis debet esse distinctus à patris baptisimi, nisi necessitas urgeat ex cap. in catechismo de consecrat. dist. 4. & notauit Henricq. lib. 3. c. 3. n. 3. Barbosa 2. p. de potest. Episc. allegat. 30. n. 51. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 3. c. 7. Bonac. disp. 3. de Sacram. q. unica. pun. 4. in fine. Adde vna die neminem esse posse conuenienter patrinum, nisi duorum tantum, quia ita cauetur in Pontificali. At si vit probus sit, & maximè Ecclesiasticus, in quo nulla addit malitiæ presumptio, poterit eodem die plurium esse patrinus, sicut resoluuit Marc. Anton. Genouen. in man. pastor. cap. 54. n. 6. quem refert, & sequitur Barbosa 2. part. de potest. Episc. allegat. 30. n. 52.

3. Tertia antecedens ceremonia sunt plures orationes religiosissimæ, & sanctissimæ, quibus Confirmandus disponitur, & Confirmationis institutio, & effectus declaratur.

4. Quarta enumerari potest ieiunium, quod tam à suscipientibus Confirmationem, quam à Ministrantibus seruari debet ex cap. vt ieiuniet. vt Episcopi. de consecrat. dist. 5. Non quidem sub præcepto, sed sub consilio ob sacramenti reuerentiam, sicuti superius dictum est. Quare stante rationabili causa post prandium & ministrari, & suscipi Confirmatio potest, sicuti iam vnus obtinuit Suarez quest. 72. art. 12. disp. 37. sect. 2. vers. quarto. Egid. de Coninch. num. 114. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 3. cap. vlt.

5. Ritus, & ceremoniæ Confirmationem comitantes sunt. Prima tempus, quod antiquitus erat sola vigilia resurrectionis, & Pentecostes, quia illis tantum temporibus extra necessitatem Confirmatio ministrabatur, quia iis tantum temporibus Baptisimus ministrari poterat, cui Confirmatio necessario coniungebatur, vt constat ex primis decretis de consecrat. dist. 5. At hæc ceremonia consuetudine abrogata est. Tum quia baptisimus quolibet anni tempore ministratur. Tum quia confirmatio separatim à baptismo conceditur, & notauit Suar. q. 72. art. 12. disp. 37. sect. 2. n. 1. An vero maritino tempore, vel vespertino, item an in die festo, vel feriali ministranda sit Confirmatio? Dicendum est & maritino, & vespertino tempore, & in die festo, & feriali ministrari posse, quia sic vnus obtinuit, vt pluribus firmat Barbosa 2. part. de potest. Episc. allegat. 30. n. 15.

6. Secunda ceremonia concomitans est locus. Hanc autem debere esse Ecclesiam sub graui culpa testantur communiter doctores, fauere vnus, & consuetudo. Et licet in Pontificali dictum sit, vt confirmatio ministraretur ante medium altaris, vel in alio decenti loco, inde inferri non potest extra Ecclesiam ministrari posse, sed in alio loco decenti Ecclesiæ, quamuis non sit ante medium altaris. Nihilominus tamen probabile est absque peccato Confirmationem ministrari posse in loco decenti extra Ecclesiam, sicuti licet in oratorio Episcopi. Sic docet Suar. disp. 37. sect. 2. n. 2. Henricq. lib. 3. cap. 6. §. 7. in fine. Bonac. disp. 3. q. unica. pun. 2. n. 14. Eman. Saâ verbo Confirmatio. n. 2. Barbosa 2. part. de potest. Episc. allegat. 30. n. 13. Neque enim credendum est consuetudinem confirmandi in Ecclesia cum tanto onere obligare, & reum lethalis culpæ Episcopum constituere alibi confirmantem, vt dixit Bonac. & Barbosa supra. aduertere debes tempore interdicti & in loco interdicto hoc sacramentum ministrari posse solemniter, publicè, & apertis ianuis ex textu in e. quoniam de sentent. excommunicat. in 6. & tradit Nauar. c. 27. n. 178. Conarru. cap. Alma. 2. p. §. 2. nu. 7. Henricq. lib. 3. c. 6. n. 7. & lib. 13. c. 4. n. 1. Barbosa plures referens 2. p. de potest. Episc. allegat. 31. n. 23. qui n. 25. id ipsum enset non improbabiler asserendum de christiatis confessione.

7. Tertia ceremonia sunt vestes sacrae, quibus Pontifex ornari debet, vt hoc sacramentum ministrat. Et enim pluvialis, mitra, stola, & baculo Pastoralis hoc sacramentum ministrandum esse respondit sacra Cardinalium congregatio apud Barbofam 2. part. de potest. Episc. allegat. 30. n. 11.

8. Ceremoniæ Confirmationem subsequentes sunt. Prima confirmati frõtem vitra linea ligari. Tum ne chisima de sinat, sed excisecur. Tum in significationem esse scilicet conferendam gratiam in Confirmatione susceperam. Hæc vitra tandiu sic retinenda est, quamdiu fuerit cuiusvis loci consuetudo. Alibi tribus diebus, alibi septem iuxta antiquum morem retinetur. Pluribus tamen locis statim post peractam confirmationem in fronte baptismatis per ministros Ecclesiæ frons confirmati abluatur, & vitra deponitur, sicuti notatur Suar. disp. 37. sect. 2. n. 7. Egid. de Coninch. qu. 62. art. 12. n. 115. Henricq. lib. 3. c. 3. n. 1. Paul. Laymann. lib. 5. tract. 3. c. vlt. Eman. Saâ, verbo confirm. n. 17. Vitra deposita solet alicubi comburi, & in profuentem mitti; alibi lora asseruatur, vt in similem vltim deleruiat, vt refert Duran. in ration. diuin. lib. 6. c. 84. n. 4. Barb. allegat. 30. n. 25. Nunquam tamen ad profanos vnus (inquit Laymann. lib. 5. tract. 3. cap. vlt.) applicari debet, quia sacri christiatis contractu quodam modo sacra fuit.

9. Secunda ceremonia est leuis alapa inflicto in signum, quod confirmatus paratus esse debet ad iniurias constanter pro Christo sustinendas, & in memoriam, & recordationem suscepti sacramenti, ne illud audeat iterum suscipere, ommissionem autem huius ceremoniæ secluso scandalo non reputatur mortale, Suar. disp. 37. sect. 2. n. 8. Bonac. disp. 3. de sac. q. vnic. p. 4. n. 9. Valent. t. 4. disp. 5. q. 3. p. 3. Eman. Saâ, verbo Confirmatio. n. 10. Barb. allegat. 30. n. 27.

10. Tertia ceremonia enumeratur cereus accensus in signum quod semper viuam fidem conseruare debet confirmatus. Huius tamen ceremoniæ nec Pontificale Romanum, neque alij antiqui authores meminerunt, vt bene obseruauit Suar. dicta disp. 37. sect. 2. in fine. Est tamen consuetudine introducta, sed non sub graui præcepto vt testatur Eman. Saâ, verbo Confirmatio. n. 10.

11. Quarta sunt plures orationes, quibus confirmandus admonetur obligationis susceptæ constanter pro conseruanda fide, & charitate pugnandi.

12. Quinta, admonetur confirmati, ne ante vltimam benedictionem Episcopalem loco Confirmationis decedat. Sed hæc admonitio omitti debet numerofo populo ad confirmationem confluentes, quia eo casu difficillimè esset obligare omnes, vt in Ecclesia vsque ad finem confirmationem percurrerent, & in sacramenti irreuerentiam cederet ob strepitum concurrenti tantum populo necessario prouocurum: potius enim expedit, vt alii succedant, & locum præterent. Sic enim decenarius & quietius Confirmationis sacramentum ministrabitur, & notauit Paul. Laymann. lib. 3. sum. tract. 3. cap. vlt. in fine.